

facile contingit in tam longo opere, sicut est Scriptum 4. *Sentent.*, juxta illud Horatii, in Poetica: *Quandoque bonus dormitat Homerus, Verum opere in longo fas est obrepere somnum.* — Hæc ille. — Potest etiam dici quod sanctus Thomas illam ultimam responsionem non ponit tanquam propriam opinionem, sed tanquam recitans dicta priorum doctorum, præsertim magistrorum suorum, vel concurrentium. — Potest tertio dici quod, cum ipse loqueretur in illo articulo de reditu peccatorum dimissorum per poenitentiam quoad culpam et reatum poenæ æternæ, ideo per illam responsionem, vel similia dicta, si qua reperiantur in libris ejus, non aliud intendit nisi quod poenitens recidivans, de quo fit sermo in illo quinto argumento, non punietur æternaliter ex reditu primi reatus, qui abolutus est, vel commutatus in reatum poenæ temporalis, nec ex secundo reatu, in quem primus commutatus est, vel successit primo, sed solum virtute tertii reatus causati per sequens peccatum mortale, quo recidivavit, et a statu poenitentiae decidit, et in quo mortuus est. Nec obstat quod dicit, quod poena inferni antequam judicium potest minui, etc. Hoc enim potest sane intelligi: non quidem quod ibi tollatur culpa, vel reatus poenæ; sed quia damnati non semper recolunt de multis, quæ, dum actualiter cogitantur ab eis, inferunt eis dolorem quemdam accidentalem, et dum non actualiter cogitantur, non actu causant dolorem, sicut dicit Petrus de Palude, dist. 22. Et multis aliis modis potest ad illud dubium responderi, cum reverentia sancti Doctoris; hoc adjecto, quod etiam Augustinus multa quæ juvenis dixerat, retractavit; et similiter beatus Thomas, in *Summa*, multa correxit, quæ juvenis dixerat in *Scriptis Sententiarum*. Ideo circa hoc non oportet multum anxari.

Ad secundum dubium patet responsio per prædicta Petri, dist. 15 (q. 1, art. 3) recitata. Dicendum est enim ad illud argumentum, quod, in casu argumenti, recidivanti remissa erat poena æterna secundum præsentem justitiam, non autem secundum æternam Dei præscientiam. — Secundo, dici potest, secundum Petrum, quod ille præscitus non fuit absolutus a poena æterna nisi sub conditione, scilicet si satisfaceret (α) in charitate in hoc sæculo, vel si in charitate et amicitia remittentis perseveraret. Et ita non sequitur quod reatus dimissus redeat. — Tertio, potest dici quod ille de quo fit sermo, punietur æternaliter, non tamen tam acerbè ac si peccata præcedentia non fuissent dimissa; nec punietur pro primo reatu, nec pro secundo, directe et per se æternaliter; sed per accidens punietur æternaliter, ex adjunctione tertii reatus, qui causatur ex ultimo peccato mortali. Et ita non sequitur quod peccatum semel per poenitentiam dimissum

redeat, nec quoad culpam, nec quoad reatum priorem ab illo procedentem immediate; sed solum in suo effectu occasionali, inquantum reatus sequentis peccati est gravior occasione præcedentium dimissorum, et præcedens peccatum est occasio et causa per accidens vel remota, sicut materia vel objectum sequentis ingratitude in recidivante.

Et hæc de quæstione dicta sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XXIII.

QUÆSTIO I.

UTRUM EXTREMA UNCTIO SIT SACRAMENTUM

CIRCA vigesimamtertiam distinctionem quæritur: Utrum extrema unctio sit sacramentum.

Et arguitur quod non. Quia sicut oleum assumitur ad infirmos, ita et ad catechumenos. Sed unctio quæ fit oleo ad catechumenos, non est sacramentum. Ergo nec extrema unctio, quæ fit oleo ad infirmos.

In oppositum arguitur. Quia sacramenta nihil aliud sunt quam quædam spirituales medicinæ. Sed extrema unctio est quædam spiritualis medicina, quia valet ad remissionem peccatorum, ut dicitur, Jacobi 5 (v. 14 et 15). Ergo est sacramentum.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod extrema unctio non est merum et purum sacramentale, sed sacramentum.

Hanc ponit sanctus Thomas, præsentī distinctione, q. 1, art. 1, in solutione primæ quæstionculæ, dicens: « In his quæ Ecclesia visibiliter operatur, quædam sunt sacramenta, ut baptismus; quædam sacramentalia, ut exorcismus. Quorum hæc est differentia: quia sacramentum dicitur illa actio Ecclesiæ, quæ attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum; sed sacramentale dicitur illa actio, quæ, quamvis

(α) *satisfaceret.* — *satisfactionem* Pr.

non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam principalem actionem. Effectus autem principaliter intentus in administratione sacramentorum, est curatio morbi peccati, Isaïæ 27 (v. 9): *Hic est omnis fructus, ut tollatur peccatum*. Et ideo, cum ad hunc effectum pertingat extrema unctio, ut ex verbis Jacobi patet, nec ordinetur ad aliud sacramentum, quasi ei annexum, constat quod extrema unctio non est sacramentale, sed sacramentum. » — Hæc ille.

Ex quibus patet in forma ratio pro conclusione.

Secunda conclusio est quod effectus principalis hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, et ex consequenti etiam quantum ad culpam, si eam inveniat.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 23, q. 1), art. 2, in solutione primæ quæstiunculæ, dicens: « Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cujusdam (α) medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad expellendum infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati. Unde, sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, et pœnitentia quædam spiritualis suscitatio; ita etiam extrema unctio est quædam spiritualis sanatio vel medicatio. Sicut autem corporalis sanatio vel medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra originale vel mortale peccatum, sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ. Et hic defectus nihil aliud est quam quædam debilitas et ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali. Et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo, ex consequenti, si inveniat aliquod peccatum mortale vel veniale quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia et confirmatione dictum est. Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens (cap. 5, v. 15): *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei quoad culpam*. Tamen non semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam dicunt reli-

quias peccati. Quidam vero dicunt quod est institutum principaliter contra veniale; quod quidem non potest, dum hæc vita agitur, perfecte curari (α); et ideo sacramentum exeuntium specialiter contra veniale ordinatur. Sed hoc non videtur verum: quia pœnitentia sufficienter in hac vita etiam delet peccata venialia quoad culpam. Quod autem non possunt evitari post peractam pœnitentiam, non aufert præcedenti pœnitentiæ suum effectum; et iterum hoc pertinet ad debilitatem prædictam. Unde dicendum est quod principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati; et ex consequenti, etiam quoad culpam, si eam inveniat. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari duplex ratio, pro duplici parte conclusionis. — Pro prima namque arguitur sic: Ille est principalis effectus sacramenti, qui directe et principaliter significatur per sacramentum. Sed hoc sacramentum principaliter et directe significat medicationem infirmitatis ex peccato relictæ. Ergo, etc. — Pro secunda arguitur sic: Omne sacramentum conferens gratiam non ponenti obicem, tollit culpam, si eam inveniat. Sed extrema unctio est hujusmodi. Ergo, etc.

Tertia conclusio est quod materia proxima hujus sacramenti est oleum per Episcopum consecratum.

Hanc ponit, ibidem, art. 3, in solutione secundæ quæstiunculæ, dicens: « Quidam dixerunt quod oleum simplex est materia hujus sacramenti; et in ipsa sanctificatione olei, quæ fit per Episcopum, perficitur sacramentum. Sed hoc patet esse falsum ex his quæ de Eucharistia dicta sunt, ubi ostensum est quod solum illud sacramentum consistit in consecratione materiæ. Et ideo dicendum quod hoc sacramentum in ipsa unctione consistit, sicut baptismus in ablutione; et materia hujus sacramenti est oleum sanctificatum. Potest autem triplex ratio assignari, quare exigitur sanctificatio materiæ in hoc sacramento, et in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit; et ideo sacramenta illa quibus ille est usus, habent efficaciam ex suo usu, sicut tactu sumæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione. Et ideo in omnibus unctionibus (6) requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias peccati et infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc quod effectus ejus, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materiæ naturali proprietate; et ideo oportet

(α) cujusdam. — ejusdem Pr.

(α) curari. — causari Pr.
(6) unctionibus. — Om. Pr.

quod hæc efficacia sibi per sanctificationem detur. » — Hæc ille.

Ex quibus patet ratio multiplex pro conclusione.

Quarta conclusio est quod forma hujus sacramenti est oratio deprecativa et non indicativa.

Hanc ponit, ibidem, art. 4, in solutione secundæ quæstiunculæ, dicens: « Forma hujus sacramenti est deprecativa oratio, ut patet per verba Jacobi, et ex usu Romanæ Ecclesiæ, quæ solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus sacramenti. Cujus ratio multiplex assignatur. Primo, quia suscipiens hoc sacramentum est propriis viribus destitutus; unde indiget aliorum orationibus sublevari. Secundo, quia datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesiæ, et in solius Dei manu requiescunt; unde et ei per orationem committuntur (α). Tertio, quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti rite peractis, sicut character in baptismo et confirmatione, et transsubstantiatio in Eucharistia, remissio peccati in pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti; et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi sicut in prædictis sacramentis. » — Hæc ille.

Ex quibus patet multiplex ratio pro conclusione in forma.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Argumentum Petri de Palude. — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Petrus (dist. 23, q. 1), dicens quod ejus probatio est dubia. Quia effectus principaliter intentus in administratione sacramentorum non est character, vel ornatus, ad quæ solum attingit actio sacramenti; quia hæc consequitur fictus, qui tamen sacramentum suscipit, non rem sacramenti. Sed effectus principaliter intentus, est curatio morbi spiritualis, quæ est per gratiam, ad quam non attingit sacramentum, sed disponit. Nisi forte dicatur quod ista curatio est quidem formaliter et immediate per gratiam sacramentalem, et non per gratiam gratum facientem, et quod sacramentum attingat ad gratiam sacramentalem, non autem ad illam quæ est in virtutibus et

donis; quod non est probabile: quia tunc fictus recipiet gratiam curantem sicut characterem, si ipsa esset effectus sacramenti proprius sicut illud; et sic sine gratia gratum faciente et charitate sanaretur homo a peccato; quod est impossibile. Unde etiam gratia sacramentalis, prout differt a gratia quæ est in virtutibus et donis, forte non est aliud quam dispositio ad illam, quæ dicitur character, vel ornatus, vel effectus: ita quod diversæ gratiæ quæ sunt in diversis sacramentis, sunt diversæ dispositiones ad gratiam, vel diversi effectus gratiæ; quia aliud est liberari ab originali, aliud ab actuali, et sic de aliis. — Hæc Petrus de Palude, in forma.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi. — Contra secundam conclusionem arguit Durandus (dist. 23, q. 1), probando quod primus effectus hujus sacramenti non sit corroboratio naturæ, contra debilitatem ex peccato relictam.

Primo (α). Quia talis debilitas naturæ, per quam patimur difficultatem ad opera gratiæ, est tam in sanis quam in infirmis. Si ergo proprius effectus extremæ unctionis est exhilaratio mentis, ad tollendum prædictam debilitatem seu difficultatem, videtur quod hoc sacramentum deberet ita exhiberi sanis sicut infirmis; quod nullus tenet.

Secundo. Quia, si talis exhilaratio mentis est proprius effectus extremæ unctionis, tunc non deberet dari illis infirmis qui jam præ infirmitate amiserunt usum rationis, quantumcumque prius petivissent hoc sacramentum; quia in eis non potest esse talis exhilaratio. Hoc autem falsum est.

Tertio. Quia prædicta debilitas naturæ, seu difficultas ad opera gratiæ, inest omnibus a natura sicut a causa per se, licet proveniat ex peccato originali sicut a causa removente prohibens; sicut de aliis defectibus fuit dictum in secundo libro (dist. 30). Et ideo habet rationem defectus naturalis, vel spiritualis. Cum autem per hoc sacramentum aliquid indulgeatur, ut in ipsa forma hujus sacramenti expresse dicitur, qualiter autem potest dici quod prædictus defectus indulgetur? Hoc enim non solum est improprie dictum, sed clare falsum. Subditur enim in forma verborum: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, vel per auditum*, et sic de cæteris. Ergo per hoc sacramentum indulgetur delictum quoad culpam, vel pœnam culpe debitam, in toto vel in parte, vel aliquam sequelam; quorum neutrum est ipse prædictus defectus, qui nobiscum perseverat pro toto tempore vitæ presentis, et præcedit omne nostrum actuale peccatum.

(α) committuntur. — dimittuntur Pr.

(α) Primo. — Om. Pr.

Quarto. Quia, si talis exhilaratio mentis est proprius effectus hujus sacramenti, mirum est quod in forma ejus non sit aliqua mentio de illa, et sit expressa mentio de remissione peccatorum, quam tu dicis non esse effectum proprium, sed casualiter contingentem. Hoc enim est contra naturam formæ sacramentorum, quæ efficiunt quod significant. Melius est ergo quod dicatur quod effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum.

Quinto. Quia sacramenta illud efficiunt quod significant. Sed per formam hujus sacramenti directe significatur dimissio peccati. Est enim talis forma: *Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum*; et sic de ceteris. Ergo per hoc sacramentum fit dimissio peccatorum quoad culpam, vel quoad pœnam, vel aliam sequelam. — Sed quia peccatum potest dimitti quoad culpam, vel quoad pœnam ei debitam, seu quamlibet aliam sequelam, ideo adhuc est dubium: secundum quod istorum dicatur dimitti peccatum. Si enim dicatur dimitti quoad culpam, cum duplex sit culpa, scilicet mortalis et venialis, impossibile est quod per hoc sacramentum dimittatur culpa mortalis. Quia sicut baptismus est spiritualis regeneratio, et penitentia spiritualis resuscitatio, sic extrema unctio sanatio vel medicatio; unde exhibetur per modum medicationis; in pluribus enim infirmitatibus utuntur medici unctione. Sed sanatio non est nisi habentis vitam. Ergo extrema unctio, cum sit spiritualis sanatio, præsupponit vitam spiritualem. Sed in eo in quo est peccatum mortale, non est vita spiritualis. Ergo extrema unctio non ordinatur ad dimissionem peccati mortalis quoad culpam. Si ergo ordinatur ad dimissionem alicujus peccati quoad culpam, oportet quod istud sit veniale, quod est quasi quædam infirmitas in vita spirituali. — Sed nec istud videtur quibusdam: quia contra unum defectum sufficit unum remedium; sed sacramentum pœnitentiæ sufficienter delet omne peccatum veniale quoad culpam; ergo quoad hoc non ordinatur aliquod aliud sacramentum. Ad hoc tamen posset dici quod unum remedium solum est per se institutum contra unum defectum interimentem vitam spiritualem, sicut baptismus contra peccatum originale, et pœnitentia contra peccatum actuale mortale; sed contra defectum qui non interimit vitam spiritualem, sicut est peccatum veniale, nullum sacramentum est necessarium; multa tamen remedia utilia sunt, sicut pœnitentia et confessio generalis, non sacramentalis, et benedictio episcopalis; et idem posset esse de extrema unctione, non obstante ratione supradicta. — Sed quia nullum peccatum dimittitur quoad culpam, nisi voluntas quæ fuit deordinata per eam, reordinetur per debitam displicentiam, etiam adhuc dubium est, quomodo per extremam unctionem dimittatur veniale

peccatum, cum non appareat (α) quid ipsa operetur ad talem displicentiam. Potest tamen dici quod hoc modo operatur extrema unctio ad dimissionem peccati venialis, quia per eam datur digne suscipienti quedam spiritualis hilaritas mentis, non quidem contra illam debilitatem vel difficultatem ad bonum nobis innatam, ut alii dicunt, sed contra oppressiorem quam infirmus tunc patitur, tum debilitate corporis, tum ex memoria præcedentium peccatorum, propter quæ posset facilius in desperationem cadere; quam hilaritatem mentis forte vocat Jacobus *alleviationem*, cum dicit: *Et alleviabit eum Dominus*. Ad hanc ergo sequitur conversio mentis in Deum, et generalis displicentia omnium delictorum (β), quæ sufficiat ad deletionem omnium peccatorum venialium. Et ideo, postquam beatus Jacobus dixit, *Et alleviabit eum Dominus*, subjunxit: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*. Et sic primus effectus hujus sacramenti est exhilaratio mentis; sed non principalis, nec principaliter intentus; quia ille est remissio peccatorum venialium quoad culpam, modo quo dictum est, vel quoad pœnam, in toto vel in parte, quod significat unctio olei, quod est mitigativum dolorum. — Hæc Durandus, in forma.

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi. — Contra tertiam conclusionem arguit idem Durandus (dist. 23, q. 2), probando quod prima ratio assignata quare materiam hujus sacramenti oportet esse oleum consecratum, non valet, scilicet quia Christus non est usus unctionibus corporalibus, etc. Quod enim hoc non valeat, dicit se probasse, dist. 7 (q. 2). Ibidem autem arguit sic, dicens: Quod chrisma, quod est materia confirmationis, oportet esse consecratum, quidam probant sic: Quorumcumque sacramentorum materia fuit Christo applicata corporaliter, illa materia non indiget nova consecratione, quia factu Christi consecrata fuit. Unde Chrysostomus (γ) dicit quod *numquam aqua baptismi peccata credentium purgaret, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuisset*. Et ideo aque baptismi, quantum est de necessitate, non oportet quod prius benedicantur quam sacramento applicentur. Idem de materia Eucharistiæ; quia Christo fuit applicata, et ab ipso benedicta. Dicitur enim, Matth. 26 (v. 26 et 27), et Lucæ. 22 (v. 19 et 20): *Acceptit autem Jesus panem et benedixit; similiter et calicem*. Et ideo non oportet quod materia prius benedicatur quam forma verborum sacramentalium super ipsam

(α) appareat. — Om. Pr.

(β) delictorum. — *debitorum* Pr.

(γ) Non Chrysostomus, immo Chromatius, in cap. 3. Matth. — Reperitur in Decreto, can. 10, D. IV, de Consecr.

proferatur. Secus autem est de chrismate, et oleo sancto, et oleo infirmorum. Oportet enim quod prius benedicantur quam exhibeantur ad usum sacramenti; quia Christus non est unctus visibilibus unctionibus, ne (α) fieret injuria invisibili unctioni qua unctus est *præ consortibus suis* (Psalm. 44, v. 8). — Sed istud non videtur.

Primo. Quia, si applicatio materie ad Christum reddit eam sanctificatam, videtur quod non solum non oporteat eam sanctificari ad hoc quod sit materia baptismi, sed etiam, si sanctificatur, quod fiat injuria priori sanctificationi, si sit ejusdem rationis; vel quod prima fuerit insufficiens, si secunda sit alterius rationis, sicut ipsi dicunt de unctione.

Secundo. Quia falsum est quod Christus non fuerit usus unctionibus visibilibus. Dicitur enim, Joan. 12 (v. 3), quod *Maria accepit libram unguenti nardi pistici, et unxit pedes Jesu*; et, Lucæ 7 (v. 38), dicitur quod *osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat*; et, Christo mortuo, unctum est corpus ejus per Nicodemum, ut habetur, Joan. 19 (v. 39). Ergo falsum est quod Christus non fuerit unctus visibilibus unctionibus. Et si dicatur quod Christus non fuit unctus visibilibus unctionibus per modum sacramenti, vel sacramentalia, sicut fuit usus pane et vino consecratis et aqua baptismi Joannis tanquam quodam sacramentali; — non obstat: quia Christus a sacramentis vel sacramentalibus nihil virtutis accepit; et, si aliquam virtutem dedit ex suo tactu, dedit omnibus quæ tetigit, quæ in usum sacramentorum debebant venire. — Hæc ille.

§ 4. — CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

Argumenta Petri de Palude. — Contra quartam conclusionem arguit Petrus (dist. 23, q. 1), dicens: Quod autem dicit Thomas, quod nullus effectus sequitur ex hoc sacramento, concurrentibus omnibus quæ sunt de essentia sacramenti, videtur dubium. Quia gratia non est minoris virtutis quam natura. Sed, concurrentibus causis naturalibus per se, et essentialibus, impossibile est non sequi effectum; nec aliqua causa per accidens, et *sine qua non*, potest impedire effectum, nisi per hoc quod impedit concursus alicujus causæ per se; sicut obstaculum corporis opaci impedit illuminationem, inquantum impedit præsentiam illuminantis immediatam, quod est causa per se; et sic de aliis. Unde, cum omne sacramentum novæ legis sit per se causa gratiæ, non sic quod attingat gratiam, sed quia disponit ad eam, necesse est quod, concurrentibus omnibus quæ sunt de essentia sacramenti, causetur dispositio ad gratiam, in omni sacramento novæ legis, et per consequens in isto. Et ideo tenendus

est Thomas magis in contrariis dictis. Unde et in matrimonio, de cujus essentia est consensus, illo posito, nihilominus causatur ornatus, licet contrahentes sint in peccato mortali, qui postea, recedente illa fictione, habet efficaciam, dum tamen consensus adfuerit; sed, si consensus contrahendi non fuerit, nihil est actum; sed, illo consensu posito, licet dissentiat in bono fine, sic. In pœnitentia non solum voluntas confitendi est de essentia, sed etiam voluntas dolendi, et abstinendi, et hujusmodi, quæ dicitur attritio; quia etsi non contritio, quæ quandoque est effectus sacramenti, et per consequens non de essentia, tamen attritio est de essentia. Sed in hoc est differentia inter pœnitentiam et matrimonium: quia omnes partes essentielles matrimonii oportet simul concurrere, aliter nihil agitur. Et dico quantum possibile est, ut scilicet simul consentiant, et quod consensus simul sit cum verbis; licet verba, cum sint quantitas successiva, non possint esse simul. In pœnitentia autem non oportet quod partes essentielles sint simul; immo satisfactio sequitur, et contritio præcedit, et confessio præcedit absolutionem. Et si contritus postea confiteatur, quia forte non est obligatus ad pluries conterendum, sicut nec ad pluries confitendum aut satisfaciendum, nisi negative, id est, ad non complacendum quando confitetur, sic, si nec contereretur nec attereretur actu (α), dum tamen non haberet oppositum, ipse reciperet effectum. Si etiam nulla attritio præcedat, nec concomitetur, quamvis non sint omnes partes sacramenti, sed solum duæ, scilicet confessio et absolutio, imprimitur ornatus, qui, recedente fictione, postea operatur: quia non est necesse quod simul hæ partes concurrant, sicut nec de duabus formis Eucharistiæ; sed ad hoc quod plenius et perfectius effectus sacramenti (6) sequatur, bene oportet quod omnes partes concurrant. Et ideo, cum contritio non sit de essentia hujus sacramenti, sicut nec baptismi, quia habet materiam exterioriorem, illa cessante, imprimitur ornatus hic, sicut ibi character.

Secundo. Quia, in solutione tertii (dist. 23, q. 1, art. 4, q^{da} 2), arguit sic Thomas, quod verba indicativa non sunt forma, sed dispositio. — Verum est, quando utraque verba dicuntur: quia tunc iteraretur sacramentum, cum de verbis deprecativis non sit dubium quin sint forma, alias non esset sacramentum ex sola materia et dispositione formæ, sine (γ) essentiali forma. Tamen Ambrosius usus est forma indicativa, dicens: *Ungo hos oculos tuos, in nomine Patris*, etc. Quæ quidem videtur eadem secundum substantiam, et per consequens valere: quia, cum quaereretur de officio ambrosiano, a Patribus decretum fuit quod ambrosianum in sua dicitur

(α) ne. — nec Pr.

(α) actu. — Om. Pr.

(6) Eucharistiæ. — Ad. Pr.

(γ) sine. — sive Pr.

cesi teneretur, gregorianum vero per orbem; nec aliquid de his quæ Ambrosius docuit in cultu religionis christianæ, fuit reprobatum, sed tacite approbatum. Sed Thomas dicit contrarium, quod forma hæc non potest esse indicativi modi. Quod verum est, de potentia ordinata. Sed, de potentia absoluta, si aliquæ Ecclesiæ habeant solum formam indicativi modi, sicut ambrosiana, saltem tempore Ambrosii, ut dicitur, non est dicendum quod nihil sit actum. Et licet conveniens forma sit indicativa, tamen, si sit deprecativa, non propter hoc sacramentum est irritum (sicut in baptismo Græci utuntur deprecativa, *Baptizetur servus Christi*, etc.); ita hic e converso. — Si dicatur quod non est simile: quia utendo verbis deprecativis ubi est effectus, non est periculum de mendacio (sicut si deprecaretur quod solem faceret cras oriri); tamen, e converso, uti verbis indicativis ubi effectus est incertus, esset periculum mendacii; et, propter hoc, magis potest dici, *Baptizetur servus Christi* (nec est falsum, etiam si non intendat, quia sola indicativa est vera vel falsa), quam (α) possit dici, *Ungo oculos istos*, etc., quia nescitur utrum anima ungatur oleo lætitiæ; — Contra (ε): Etiam quando sacerdos dicit, *Ego te baptizo*, nescit utrum ille intendat ludere, sicut multi Judæi faciunt, et sic non est baptismus; et similiter quando dicit, *Absolve te*, nescit si est fictus; et in confirmatione. Sed quia supponitur ex his quæ exterius apparent, excusatur; vel refertur ad exteriorem actum, de quo est certus, non ad interiorem. Similiter in proposito: magis est verisimile quod iste confessus, et communicatus, et timens mortem, sit non fictus, quam de alio; et sic potest supponere unctionem invisibilem, sicut ibi ablutionem interiorem; vel refert se ad unctionem exteriorem, de qua certus est. Nec est dicendum quod beatus Ambrosius erraverit: quia sancti non sibi pepercissent in contradicendo; sicut nec Cypriano, qui rebaptizabat baptizatos ab hæreticis, non pepercit Augustinus, quin hoc damnavit; et Paulus in faciem restitit Petro, qui judaizare cogebat. — Hæc Petrus.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Ad argumentum Petri de Paludo. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est obje-

ctionibus supradictis. Et ideo ad objecta contra primam conclusionem, dicitur quod sanctus Thomas non intendit per illa verba quod istud sacramentum, nec aliud, attingat principaliter ad effectum principaliter intentum in administratione vel susceptione sacramentorum, effective, tanquam perficiens, sed solum tanquam disponens dispositione immediata ad perfectionem ultimam intentam, quam dispositionem efficit instrumentaliter, et non tanquam agens principale. — Dicitur secundo, quod gratia quæ est in virtutibus et donis, dicitur communi nomine gratia gratum faciens. Et, cum sit subjective in essentia animæ, et non in aliqua ejus potentia, sanat defectus potentiarum per peccatum relictos, effective, et non formaliter; quia ab illa effluunt potentialiter aliquæ perfectiones in potentias animæ, quæ tollunt formaliter a potentiis animæ illos defectus, ut in prima distinctione (α) hujus dictum fuit. — Dicitur tertio, quod gratiæ sacramentales distinctæ a gratia gratum faciente, sunt uno modo dispositiones ad gratiam gratum facientem, et alio modo sunt ejus effectus. Dispositiones quidem, inquantum, eis positæ, sublato gratiæ obice, ponitur gratia; sicut ultima dispositio materiæ infert formam principaliter intentam. Effectus vero gratiæ sunt, non quidem quoad substantiam dispositionis, vel gratiæ, prout est accidens talis speciei, sed quantum ad esse formatum et gratuitum, aut quantum ad aliquam perfectionem secundam. — Dicitur quarto, quod ipsemet Petrus respondet ad illud argumentum, post verba argumenti præmissa, subdens in hunc modum: « Dicendum est, inquit, quod major Thomæ debet glossari vel intelligi sic, quod illa actio quæ principaliter attingit, id est, quæ principaliter ordinatur ad attingendum inter actiones sacramentales quæ sunt sensibiles, ita quod non mediante alia actione sacramentali ad quam ordinatur, illa est sacramentum: quia licet unum sacramentum ordinetur ad aliud, sicut etiam unius effectus ordinatur ad aliud, tamen quodlibet sacramentum immediate ordinatur ad unum effectum spirituales distinctum; ad quem effectum illud quod immediate ordinatur, est essentialiter sacramentum; quod vero non immediate, sed mediante (ε) illo, vel antecedenter, vel consequenter, est sacramentale illius, non sacramentum; et istud est ab Ecclesia institutum, sed sacramentum a Deo: sicut clare patet in baptismo, in quo ablutio sub illa forma, *Ego te baptizo*, est solum essentialiter sacramentum, quæcumque autem præcedunt vel sequuntur, sunt sacramentalia; et similiter in Missa, quæcumque præter formam et materiam adhibentur. Unde septem psalmi, orationes, crucis osculum, et omnia hujusmodi, in hoc sacramento, sunt ceremonialia

(α) quam. — qua Pr.

(ε) Contra. — quia Pr.

(α) Cfr. præsertim dist. 1, q. 3, art. 3, § 3, ad 5^{um}.

(ε) mediante. — Om. Pr.

et sacramentalia, ex usu Ecclesiae instituta; sed unctio cum illa forma, *Per istam unctionem*, etc., illud solum est essentia sacramenti, et sacramentum per se distinctum. » — Hæc Petrus, et bene; licet non sit necessaria tam proluxa glossa, sed brevius posset responderi, modo prædicto.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Ad primum contra secundam conclusionem, dicitur primo, quod sanctus Thomas non ponit quod exhilaratio mentis sit proprius effectus hujus sacramenti, sed robur mentis contra prædictam debilitatem, et habitatio ad actus gratiæ et gloriæ, contra inhabilitatem et ineptitudinem ad tales actus, relictam ex peccato, ut declaratum est in probatione conclusionis. — Dicitur secundo, quod licet prædicta ineptitudo et inhabilitas, seu debilitas, æqualiter insit sanis et infirmis, non sequitur quod hoc sacramentum æqualiter sit utrisque exhibendum. Tum quia Sacra Scriptura præcipit hoc sacramentum solum dari infirmis, et non sanis, ut patet ex verbis beati Jacobi, 5 cap. (v. 14), *Infirmatur quis in vobis*, etc. Tum quia in hoc sacramento infirmitas spiritualis debet significari per infirmitatem corporalem, et spiritualis curatio per corporalem. Unde sanctus Thomas, præsentī distinctione, q. 2, art. 2, in solutione primæ quæstiunculæ, sic dicit: « Hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio; quæ quidem per corporalis curationis modum significatur; et ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc sacramentum conferri. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus hujus sacramenti, oportet tamen quod per curationem corporalem significetur spiritualis curatio, etiam si corporalis sanatio non sequatur. Et ideo solis illis hoc sacramento spiritualis sanitas dari potest, quibus corporalis curatio competit, scilicet infirmis; sicut ille solus potest baptismum suscipere, qui potest corporalis ablutionis particeps esse, non autem puer in ventre matris exsistens. » — Hæc ille. — Et multa alia similia ibidem dicit. Tum quia sanis non imminet de propinquo status exercendi actus gloriæ, sicut infirmis exeuntibus. De hoc sanctus Thomas, ibidem, in solutione secundæ quæstiunculæ, sic dicit: « Hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet adhiberi, qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod ægrotudo nata est mortem inducere, et de periculo timetur. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit: « Hoc sacramentum habet pro principali effectu illam sospitatem, quæ exeuntibus et iter ad

gloriam agentibus est necessaria. » — Hæc ille. — Ex quibus, et multis aliis, patet quod consequentia illius argumenti non valet. — Dicitur tertio, quod illud argumentum militat contra Durandum: quia ipse dicit quod principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccati venialis quoad culpam, vel poenam; sed constat quod peccata venialia plus vel æque insunt sanis quam infirmis; ergo, si consequentia sua valeat, hoc sacramentum deberet conferri sanis sicut infirmis; quod ipse negat.

Ad secundum patet per prædicta: quia non est contra nos. Non enim ponimus exhilarationem mentis esse proprium effectum hujus sacramenti, si talis exhilaratio dicat actum secundum. Sed ponimus sublationem inhabilitatis et ineptitudinis ad actus gratiæ et gloriæ, per aliquid tamen positivum impressum, se habens per modum actus primi; quod potest dici ornatus, vel sospitas, vel habitatio ad actus gratiæ et gloriæ. Et ideo potest habere effectum in carentibus usu rationis, qui tali habilitatione indigent. — Item, hoc argumentum, sicut præcedens, militat contra factorem suum: quia ipse ponit primum effectum hujus sacramenti esse exhilarationem mentis, ad quam sequitur conversio mentis in Deum; constat autem quod infirmi qui præ infirmitate privati sunt usu rationis, non sunt capaces talis conversionis in Deum, nec talis hilaritatis, quam ipse ponit.

Ad tertium dicitur primo, quod illa ineptitudo, vel inhabilitas, contra quam datur hoc sacramentum, non est naturalis; sed est effectus peccati per se. Licet enim natura sit inhabilis negative ad actus gloriæ, quasi insufficiens, nisi aliud superaddatur; non tamen est inhabilis contrarie, quasi habens aliquid contrarium exercitio illorum actuum. Sed illa secunda inhabilitas causatur ex peccato; quam oportet tolli ante introitum gloriæ, per hoc sacramentum, vel per aliquid æquivalens. Et de tali inhabilitate, in suo simili, loquitur sanctus Thomas, dist. 47 hujus *Quarti*, q. 2, art. 1, in solutione primæ quæstiunculæ, ubi sic dicit: « Quia mundus aliquo modo propter hominem factus est, oportet quod quando homo secundum corpus glorificabitur, etiam alia corpora mundi ad statum meliorem mutantur, ut sit et locus convenientior, et aspectus delectabilior. Ad hoc autem quod gloriam corporis homo consequatur, oportet prius removeri ea quæ gloriæ opponuntur; quæ sunt duo, scilicet corruptio, et infectio culpæ; quia, ut dicitur, 1. *Corinthior.* 15 (v. 50), *corruptio incorruptelam non possidebit*, et a civitate gloriæ omnes immundi foris erunt, *Apocalyps.* ult. (v. 15). Et similiter oportet elementa mundi purgari a contrariis dispositionibus, antequam in novitatem gloriæ adducantur, proportionabiliter ei quod de homine dictum est. Quamvis autem res corporalis subjectum infectionis culpæ proprio esse non possit, tamen ex culpa quæ-

dam incongruitas in rebus relinquitur, ad hoc quod spiritualibus dedicentur; et inde videmus quod loca in quibus aliqua crimina sunt commissa, non reputantur idonea ad aliqua sacra in eis exercenda, nisi quadam purgatione præmissa. Et, secundum hoc, ex peccatis quamdam inidoneitatem ad gloriæ susceptionem pars mundi recipit, quæ in usum nostrum cedit; unde quantum ad hoc mundatione indiget, etc. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet quomodo peccatum inhabilitat ad gloriæ susceptionem non solum naturam rationalem, quæ potest esse subjectum peccati, verum etiam creaturas inanimatas; et quomodo ibi relinquit inhabilitatem.

Dicitur secundo, quod peccatum non solum inhabilitat ad actus gloriæ, immo ad actus gratiæ et virtutum; sicut ostendit sanctus Thomas, 1^a 2^æ, q. 85. Nam, primo articulo, ostendit quomodo per peccatum actuale diminuitur bonum naturæ, quæ est inclinatio ad virtutem. Et, art. 3, ostendit quomodo tam per peccatum originale, quam per actuale, inhabilitatur anima et suæ potentiæ ad bonum. Ait enim sic: « Per justitiam originalem ratio perfecte continebat inferiores animæ vires; et ipsa ratio a Deo perficiebatur, ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quæ naturaliter inclinantur ad virtutem; et ipsa destitutio, vulneratio naturæ dicitur. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum: scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. Inquantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantie; inquantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; inquantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; inquantum vero concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile ratione moderatum, est vulnus concupiscentiæ. Sic ergo ista quatuor sunt vulnera inflicta toti naturæ humanæ ex peccato primi parentis. Sequitur quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ideo etiam ista quatuor sunt vulnera ex aliis peccatis consequentia: inquantum scilicet per peccatum ratio hebetatur præcipue in agendis, voluntas induratur ad bonum, et major difficultas bene agendi accrescit, et concupiscentia magis exardescit. » — Hæc ille. — Item, ibidem, arguit sic, quinto loco: « Augustinus, in libro *de Natura et Gratia* (cap. 67), ponit duo pœnalitatem animæ peccanti, scilicet ignorantiam et difficultatem; ex quibus oritur error et cruciatus. Quæ quidem quatuor non concordant istis quatuor supradictis. Ergo, etc. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod difficultas quæ ponitur in libro Augustini, includit ista tria quæ pertinent ad potentias

appetitivas, scilicet malitiam, infirmitatem et concupiscentiam: ex his enim tribus contingit quod aliquis non facile tendit in bonum. Error autem et dolor sunt vulnera consequentia: ex hoc enim aliquis dolet, quod infirmatur circa ea quæ concupiscit. » — Hæc ille. — Item, *de Malo*, q. 2, art. 11, sic dicit: « Sicut lumen a sole diffunditur in aerem, ita gratia a Deo infunditur animæ. Quæ quidem est supra naturam animæ; et tamen in natura animæ, vel cujuscumque creaturæ rationalis, est aptitudo quædam ad gratiæ susceptionem, et per gratiam susceptam fortificatur in debitis actibus. Peccatum autem est quoddam obstaculum interpositum inter animam et Deum, secundum illud Isaïæ 59 (v. 2): *Peccata nostra dividerunt inter nos et Deum nostrum*. Cujus ratio est: quia, sicut interior aer domus non illuminatur a sole, nisi directe aspiciat solem, et dicitur illuminationis obstaculum, quod hujusmodi respectus (α) rectitudinem impedit; ita anima non potest illuminari a Deo per gratiæ susceptionem, nisi directe convertatur in ipsum. Hanc autem conversionem impedit peccatum, quod convertit animam in oppositum, quod scilicet est contra legem Dei. Unde manifestum est quod peccatum est obstaculum quoddam impediens gratiæ susceptionem. Omne autem obstaculum alicujus perfectionis aut formæ, simul cum hoc quod excludit formam vel perfectionem quamcumque, facit susceptivum minus aptum vel habile ad formæ receptionem; et ulterius, per consequens, impedit effectus formæ vel perfectionis in subjecto; et maxime si obstaculum illud fuerit aliquid inhærens actu vel habitu in subjecto. Manifestum est enim quod illud quod movetur uno motu, non movetur simul contrario, et est etiam minus aptum vel habile ut motu contrario moveatur. Similiter etiam quod est calidum, est minus aptum ut sit frigidum; difficilius enim frigidi impressionem recipit. Sic ergo peccatum, quod est obstaculum gratiæ, non solum excludit gratiam, sed etiam facit animam minus aptam vel habilem ad gratiæ susceptionem; et sic diminuit aptitudinem vel habilitatem animæ ad gratiam. Unde cum dicta habilitas sit quoddam bonum naturæ, peccatum diminuit bonum naturæ. Et quia gratia naturam perficit, et quantum ad intellectum, et quantum ad voluntatem, et quantum ad inferiores animæ partes obedibiles rationi, scilicet concupiscibilem et irascibilem, peccatum, excludendo gratiam et hujusmodi auxilia naturæ, dicitur vulnerare naturam. Unde ignorantia, malitia et hujusmodi dicuntur vulnera consequentia ex peccato. » — Hæc ille. — Ex quibus patet primo, quod falsum est illud quod dicit arguens, scilicet quod debilitas, aut difficultas, aut inhabilitas ad actus gratiæ et gloriæ, non sit sequela peccati actua-

(α) respectus. — ejus Pr.

lis, sed defectus per se consequens naturam. Secundo, quod non false nec improprie dicitur: *Indulgeat tibi Dominus*, etc.; quia per illam orationem petitur indulgeri peccatum quoad reliquias ab ipso relictas. Tertio, quod falsum est aliud dictum arguentis: quia tales reliquiae, vel talis defectus non praevent omni actum liberi arbitrii, sed consequitur actum peccati; nec quilibet talis defectus perseverat nobiscum per totam vitam, saltem non aequè intensus uno tempore sicut alio. Ex quibus patet ad argumentum.

Ad quantum dicitur primo, quod non legi quod sanctus Thomas dicat quod proprius effectus hujus sacramenti sit exhilaratio de qua loquitur arguens, sed bene dicit, prima quaestione hujus distinctionis, art. 2, q^{la} 3, in solutione tertii, quod « in hoc sacramento res et sacramentum non est character, sed quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio ». — Haec ille. — Et ideo, si arguens talem devotionem vocet exhilarationem, non contendo. Puto tamen quod illa devotio, vel spiritualis unctio, non sit actualis, sed magis habitualis, et potius actus primus per modum formae, quam actus secundus per modum operationis. Et forte potest vocari ornat, et dispositio ad gratiam, vel delibutio quaedam ad futuram gloriam, sicut dicit sanctus Thomas, distinctione secunda hujus, q. 1, art. 2, in solutione principali. — Dicitur secundo, quod de tali exhilaratione, vel spirituali unctione, satis fit mentio in forma sacramenti, cum dicitur: *Per istam sanctam unctionem*, etc.; quia per unctionem significatur letitia, juxta illud (Psalm. 44, v. 8), *Unxit te Deus oleo letitiae*, etc. — Dicitur tertio, quod remissio peccatorum, de qua fit mentio in forma sacramenti, intelligitur primario quoad reliquias peccati, sed secundo quoad culpam vel poenam, si peccata quoad hoc non sint prius remissa, ut dictum est: ita ut dicamus quod prima res hujus sacramenti, quae est res et sacramentum et gratia sacramentalis, est illa spiritualis unctio, de qua dictum est; sed ultimus effectus est remissio peccatorum per gratiam gratum facientem, quoad tria, vel duo, vel unum tantum, scilicet culpam, poenam, reliquias peccati; directe tamen ordinatur ad tollendum tertium praedictorum, indirecte autem et per accidens ad alia duo. Et sic patet quod argumentum parum valet.

Ad quintum et omnia praecedentia, sententialiter respondet Petrus de Palude (dist. 23, q. 4), dicens: « Iste modus per quem ponunt dimitti venialia per hilaritatem quam infundit, ad quam sequitur conversio mentis in Deum, et generalis displicentia, non videtur verus. Quia, sicut baptismus debet dari illi qui in sanitate illum petit, etiam si fiat furiosus, nec speretur lucidum intervallum, quia non requirit actum susipientis per se, quia ordinatur ad peccatum contractum sine actu proprio; sic infirmo,

qui cum sanae mentis esset petit hoc sacramentum, et postea incidit in phrenesim, datur hoc sacramentum, cum etiam detur ei Eucharistia; qui tamen non est capax rationis, nec per consequens hujus hilaritatis, nec conversionis ad Deum, nec per consequens displicentiae. Unde, si principaliter datur propter venialia, nec potest ea delere nisi propter talem conversionem; frustra datur illis qui sic converti non possunt. Quando enim sacramentum per se requirit aliquid, in nulla necessitate debet dari nisi habenti illa per se exigita; sicut patet in absolutione poenitentiali, et benedictione nuptiali (quamvis non sit sacramentum); quia non datur nisi consentientibus, quia matrimonium per se requirit consensum. Si ergo requireret per se consensum in actum inungendi (requireretur autem si principaliter daretur contra culpam actuale) (α), non daretur nisi habenti signa contritionis etiam tunc; nec iterum (β) haberet materiam (γ) exterius, sicut nec poenitentia, nec matrimonium, nisi actum inungendi; habet autem, sicut baptismus et confirmatio; ergo, etc. — Secundo. Quia, cum extrema unctio sit sacramentum exeuntium, debet esse ultimum sacramentum, post quod non restat aliud; sicut baptismus primum, ante quod nullum. Unde etiam viaticum primo datur infirmo quam extrema unctio. Cum autem communio requirat maximam puritatem a peccatis, si, pro tempore infirmitatis, quando infirmus est communicandus, ad deletionem venialium esset convenientius remedium extrema unctio quam poenitentia, post confessionem de mortalibus, ad deletionem venialium deberet praecedere extrema unctio; quia quidquid est convenientius remedium contra culpam quamcumque, illud maxime debet esse praebulum ad Eucharistiam. — Tertio. Quia non est verum quod debilitas contra quam datur hoc sacramentum, sit infirmitas naturae gratia destituta (quam tamen (δ) supponit hoc sacramentum). Quia ista debilitas debet esse propria illi tempori et statui cui appropriatur hoc sacramentum. Quia ergo morte instante eminet gravissima tentatio inimici, qui jam insidiatur calcaneo; et quia anima, quae naturaliter diligit corpus, magis intenta corpori, non potest intendere sibi, sicut Augustinus dicit; depressio etiam ex memoria praecedentium delictorum, ex quibus in desperationem labi posset, et visiones terribiles quas patitur, et hujusmodi, concurrunt; ideo tunc ex his omnibus anima debilior efficitur, specialiter ex peccatis praecedentibus, ex quibus fit timida et infirma ad actus gratiae, non solum habitibus in contrarium inclinantibus (quia tunc prona non est inclinatio ad peccatum, et forte

(α) et. — Ad. Pr.

(β) iterum. — Om. Pr.

(γ) iterum. — Ad. Pr.

(δ) quam tamen. — quantum Pr.

gravi infirmitate tales habitus corrumpuntur), sed sit infirma meritorie, quia quanto pluries et (α) gravioribus consenserit peccatis, tanto magis meruit in tentationibus deseri; et tamen tunc gravissima imminet tentatio; unde et quasi pugil inungitur contra dæmonem, sicut confirmandus contra mundum. Hæc ergo est infirmitas ad actus gratiæ, differens ab habitu peccatorum. Unde per hoc sacramentum imprimitur ornatus disponens ad augmentum gratiæ et fervorem charitatis, ut sit homo fortis contra tentationem in morte, et accipiat Spiritum Sanctum ad robur in pugna hac, sicut in confirmatione in pugna corporali persecutionis temporalis. Aliquando autem infirmus jam perdidit usum rationis, lapsus in phrenesim, ita quod peccare non potest; sed stat in eo infirmitas, retardans ab actu gloriæ, et pœna debita peccato actuali; et contra hanc etiam datur. Unde ut pugnans in fine vincat, et vincens sine alio purgatorio cœlum intret, propter hæc duo inungitur. Et hæc est duplex infirmitas. — Quarto. Quia in exhibitione essentiali sacramenti hujus, ipse infirmus se habet pure passive, nec requiritur aliquis ejus actus interior, nec exterior, plusquam in parvulo; licet ritus Ecclesiæ habeat quod faciat generalem contritionem, vel confessionem, quam si ore non potest facere, saltem tundat pectus suum, in signum doloris; sed ista fiunt ante essentiam sacramenti, quasi præambula. Ex quo apparet quod non datur principaliter propter culpam actualem: quia tunc per se requireret actum voluntatis; quia *qui creavit te sine te, non justificabit te sine te* (August., de *Verbis Apostoli*, serm. 15). Unde absolutio non debet dari nisi confitenti et interrogato an proponat abstinere; et nihilominus delet culpam ex opere operato, si non est obex. » — Hæc Petrus. — Præterea subdit quod « effectus hujus sacramenti non solum est corporalis alleviatio, sed etiam spiritualis, quæ dicitur hilaritas mentis, non actualis, sed habitualis, quia imprimit ornatum disponentem ad gratiam gratum facientem, et cum hoc gratiam sacramentalem, quæ est quidam habitus habens specialem effectum ad fortificandum contra pugnam tunc imminuentem, et ad remittendum pœnam quæ post omnia alia sacramenta impediret ingressum regni; propter quæ duo datur hoc sacramentum principaliter; quia non datur in supplementum contritionis, quæ tunc haberi non potest; inde est quod, sicut contritio (β) non totam sed partem pœnæ deleat, sic et istud sacramentum. Propter quod, sicut sine isto sacramento vinceretur homo a diabolo, qui cum isto vincit; sic cum isto sacramento citius intrat cœlum, quam sine isto. » — Hæc Petrus, et bene quoad hoc quod dicit quod

hoc sacramentum non principaliter datur ad remissionem culpæ venialis.

Sed in dictis ejus sunt aliqua dubia. Primum est, quia sanctus Thomas, præsentī distinctione, q. 2, art. 2, in solutione tertiæ quæstiunculæ, expresse ponit quod hoc sacramentum non debet furiosis nec amentibus dari pro tempore quo sacramentum non cognoscunt, nec actualem devotionem habent ad id; cujus oppositum dicit Petrus. Sed forte posset dici quod sanctus Thomas loquitur de illis qui nec tunc nec ante habuerunt actualem devotionem et desiderium percipiendi hoc sacramentum. — Secundum dubium est, quia non apparet ex dictis Petri quis sit effectus principaliter intentus in hoc sacramento. Quia, sicut dicit quod principalis effectus est fortificatio contra pugnam et tentationem diabolicam sibi imminuentem, tunc, secundum eum, non deberet dari carentibus usu rationis, sine quo nulla tentatio vinci potest. Si vero dicat quod principalis effectus ejus est remissio peccati venialis quoad pœnam, — non videtur: quia ad hoc sufficit sacramentum pœnitentiæ, quod hunc effectum efficacius et directius confert; tum etiam quia non apparet quod pœna debita peccato actuali in hoc sæculo remittatur alicui sine actu liberi arbitrii, quo caret furiosus. — Tertium dubium est, quod suscipiens hoc sacramentum in statu gratiæ, propter præcedentia peccata sibi remissa, deseratur in ultima tentatione periculosissima auxilio divino vel angelico; cum Deus in illo casu potius adjuvet electos suos quam unquam alias. — Quartum dubium est, quia videtur ponere pluralitatem rerum sine necessitate. Dicit enim quod hoc sacramentum imprimit ornatum, et, præter hoc, gratiam sacramentalem, quasi quemdam habitum permanentem. Hoc autem non videtur; sed potius dicendum videtur quod gratia sacramentalis in hoc sacramento non sit aliud quam illa spiritualis unctio, de qua loquitur sanctus Thomas, quæ potest vocari ornatus et dispositio ad gratiam gratum facientem, licet alio modo sit ejus effectus, ut supra dictum fuit (α).

Dicitur ergo quod effectus principalis hujus sacramenti est deletio reliquiarum peccati, et dispositio, et delibutio, et præparatio ad gloriæ susceptionem, modo prius exposito (ad secundum et ad quartum). Unde sanctus Thomas, secunda distinctione hujus, q. 1, art. 2, sic dicit: « Duplex est perfectio. Una, formæ ad actum; et hanc quidem perfectionem facit ordo, quantum ad executionem bonorum, quia reddit (β) hominem idoneum ad dispensationem sacramentorum; sed quantum ad perpersionem difficultum, facit dictam perfectionem confirmatio, quæ (γ) hominem fortem reddit, ut nomen Christi

(α) *et.* — *etiam* Pr.

(β) *contritio.* — *continue* Pr.

(α) Cfr., in præsentī articulo, § 1, tertium dictum ad argumentum Petri de Palude.

(β) *reddit.* — *dedit* Pr.

(γ) *quæ.* — *qua* Pr.

propter pressuras mundi confiteri non refugiat. Alia perfectio est in ordine ad finem, ad quem per actus pervenitur; et hanc quidem perfectionem quantum ad finem intra facit extrema unctio, quæ est quædam delibutio præparans in gloriam remissionis; quantum vero ad finem extra facit Eucharistia, quæ membra capiti conjungit. » — Hæc ille. — Item, ibidem, sic dicit: « Quidam accipiunt numerum sacramentorum secundum adaptationem ad virtutes: ut fidei respondeat baptismus, quod sacramentum fidei dicitur; spei extrema unctio, per quam homo præparatur quodammodo ad futuram gloriam, etc. » Item, ibidem, in solutione quinti, sic dicit: « Extremæ unctionis non debuit præcedere figura in veteri lege: quia extrema unctio est directivum et præparatorium in gloriam, quam tunc statim post mortem consequi non poterant, sicut modo possunt. » Item, art. 1, in solutione quartæ quæstiunculæ, sic dicit: « Quidam dicunt quod aliqua sacramenta sunt instituta in remedium venialis peccati, sicut Eucharistia et extrema unctio. Sed hoc non videtur convenienter dictum: quia pœnitentia est purgativa universaliter omnis peccati actualis, mortalis et venialis; unde ad hoc non oportebit aliud sacramentum institui. Et præterea, quia, etiam non existentibus (α) venialibus, adhuc necessitas illorum sacramentorum esset ad consummandum in bonum, secundum doctrinam Dionysii (*de Eccl. Hier.*, cap. 5), etc. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod effectus principaliter intentus in hoc sacramento non est fortificatio contra ultimam tentationem, nec remissio venialium quoad culpam aut pœnam, sed præparatio ad gloriam animæ et corporis, per sublationem reliquiarum peccati inhabitantium ad gloriæ susceptionem, et dedicationem animæ et corporis ad gloriam. Ex quo sequitur quod ista unctio potius assimilatur unctioni dedicativæ quam pugilativæ, quoad finem ad quem ordinatur; non dico cœquali causæ durationis. Nullus etiam doctorum antiquorum hoc sacramentum appropriavit virtuti fortitudinis, sed solum sacramentum confirmationis, ut ostendit sanctus Thomas, secunda distinctione hujus (q. 1, art. 2); quod tamen porteret, si dicta opinio Petri vera esset.

Uterius dicitur quod dicta Durandi implicant contradictionem: quia ex una parte dicit quod hoc sacramentum non est principaliter institutum contra peccatum veniale, et ex alia dicit quod principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccati venialis; constat autem quod omne sacramentum est institutum propter suum principalem effectum; ex quo sequitur oppositum primi, scilicet quod hoc sacramentum est institutum principaliter contra peccatum veniale.

Et hæc sufficiant ad objecta contra secundam conclusionem.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contra tertiam conclusionem, dicitur quod consequentia non valet. Quia, sicut dicit Petrus (dist. 7, q. 1), « tunc tantummodo fit injuria consecrationi quando idem genus consecrationis repetitur, non autem quando aliud et aliud, maxime quando unum ad aliud ordinatur: quia, sicut in naturalibus in eodem subjecto sunt plura accidentia diversarum rationum, non autem unius; sic nihil prohibet in supernaturalibus aliquid unum pluries sanctificari sanctificationibus diversi generis; sed unius generis, sic; sicut unus et idem homo plura sacramenta suscipit, sed non pluries unum de non iterabilibus. Et similiter consecratio sacramentalis præcedit consecrationem quæ est sacramentum in eadem materia: sicut, post multas benedictiones super panem et vinum, proferuntur verba consecrationis; et sic de aliis. Unde materia confirmationis et extremæ unctionis non bis consecratur illa consecratione quæ est sacramentum; licet post illam quæ est sacramentalis, recipiat illam quæ est sacramentum. Unde, cum sanctificatio quam Christus contulit suo tactu aliquibus materiis sacramentorum, sit alterius rationis a sanctificationibus sacramentalibus et verbalibus, nihil prohibet eas illi supervenire. » — Hæc Petrus, et bene; et concordat sancto Thomæ, prima quæstione hujus distinctionis, art. 3, q. 2, ubi arguit sic, primo loco: « Hoc sacramentum habet unam sanctificationem in usu per formam verborum. Ergo superfluit alia sanctificatio, si ad materiam ipsius fiat. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod prima sanctificatio materiæ est secundum se. Sed secunda, magis pertinet ad usum ipsius, secundum quod est actu conferens effectum suum. Et ideo neutra superfluit: quia etiam instrumenta efficaciam accipiunt ab artifice, et dum fiunt, et dum ad actum applicantur. » — Hæc ille. — Item, dist. 7, q. 1, art. 2, q. 3, arguit sic, tertio loco: « Sanctificatio non est iteranda circa idem. Sed per formam sacramenti sanctificatur materia, ut patet in baptismo, cujus materia est aqua verbo vitæ sanctificata; quod verbum dicit Magister (dist. 3) esse formam baptismi. Ergo non debet, ante prolationem formæ sacramentalis, aliqua sanctificatio circa materiam confirmationis adhiberi. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, sicut instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a principali agente ad effectum, ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget: una, qua instituitur materia propria sacramenti, et ad hoc est sanctificatio materiæ; alia est

(α) *existentibus*. — *excurrentibus* Pr.

quando applicatur ad effectum, quæ (α) fit per formam sacramenti. Et ideo non fit injuria sanctificationi, si duplex sanctificatio talibus adhibeatur. » — Hæc ille.

Ad secundum respondet Petrus (dist. 7, q. 1), quod « Christus vivus, et mortuus, fuit usus unctionibus visibilibus; sed non per modum sacramenti, sicut usus est pane et vino consecratis et conversis; nec per modum sacramentalis, sicut usus (ε) est baptismo Johannis. Unde si pueris manum imposuit, non tamen unxit; et si Apostolos cum oleo misit, non tamen illo oleo unctus est, nec per se unxit infirmos ». — Hæc ille. — Sed contra hoc replicat Durandus, ut patet in arguendo. — Sed dicendum quod fundatur in falsa consequentia, scilicet hac: *Christi contactus dedit virtutem aliquibus materiis sacramentalibus; ergo dedit virtutem omnibus quæ tetigit, venientibus in usum sacramentorum.* Hæc enim consequentia nullius est existentiae, nec apparentiae: quia non quilibet Christi contactus contulit virtutem aquæ vel pani, sed solum ille contactus quo materiam a se tactam instituebat materiam sacramenti; sic autem tetigit aquam in baptismo, et panem et vinum in cœna; oleum autem aut aliam unctionem nunquam tetigit illo modo; et ideo nullam sanctificationem eis contulit suo tactu præcise, sed solum materię baptismi et Eucharistię. Et ideo argumentum non valet.

§ 4. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Petri de Palude. — Ad primum contra quartam conclusionem, dicitur quod non fuit mens sancti Thomæ quod hoc sacramentum in aliquo casu nullum causet effectum, concurrentibus omnibus quæ sunt de essentia sacramenti, et nullo obice existente in recipiente. Quia, ut bene arguit Petrus, secundum sanctum Thomam, in aliis locis, omne sacramentum novę legis causat dispositionem ad gratiam, si non sit defectus ex parte requisitorum ad sacramentum, nec impedimentum ex parte suscipientis, per aliquam fictionem. Sed credo quod intendebat quod integratio effectus hujus sacramenti, quæ includit sanationem mentis et corporis, non semper ponitur, posito perfecto sacramento, et remota omni fictione ex parte suscipientis. Et quod ista fuerit ejus mens, videtur: nam, præsentī distinctione, q. 1, art. 2, in solutione secundę quæstioneculę, sic dicit: « Sicut baptismus, per ablutionem corporalem, facit spiritualem emundationem a maculis spiritualibus; ita hoc sacramentum, per medicationem sacramentalem exteriorem, facit sanationem interiorem. Et

sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem emundationem facit; ita extrema unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. Sed in hoc est differentia: quia corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, et ideo semper eam facit; sed extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materię, sed ex virtute divina, quæ (α) rationabiliter operatur. Et quia rationabiliter operans nunquam inducit effectum secundarium nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis. » — Hæc ille. — Item, art. 4, q^{la} 3, arguit sic, tertio loco: « Duplex effectus hujus sacramenti ponitur in littera. Sed in verbis prædictis non fit mentio nisi de uno, scilicet de remissione peccatorum; non autem de corporali sanatione, ad quam Jacobus ordinat orationem fidei, dicens (cap. 5, v. 15): *Oratio fidei sanabit infirmum.* Ergo forma prædicta est incompetens. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod in forma debet exprimi principalis effectus, et qui semper inducitur in sacramento, nisi sit defectus ex parte recipientis. Non autem talis effectus est corporalis sanitas, ut ex dictis patet; quamvis quandoque sequatur; ratione cujus Jacobus hunc effectum attribuit orationi, quæ est forma hujus sacramenti. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod hoc sacramentum semper inducit suum effectum principalem, nisi sit defectus ex parte recipientis; sed effectus secundarius non semper inducitur, sed tunc tantum quando expedit ad principalem effectum, et tunc semper.

Si autem Petrus intendat probare quod hoc sacramentum, et quodlibet aliud sacramentum novę legis, semper habet aliquem effectum in suscipiente, dummodo concurrant omnia quæ sunt de essentia sacramenti, sive suscipiens ponat obicem, sive non; et quod nulla fictio possit impedire effectum hujus sacramenti primum, aut ultimum; — neganda sunt dicta ejus. Nec valet ejus probatio: quia causa naturaliter agens, quantumcumque perfecta, et per se, aut essentialis, nunquam producit effectum in passo indisposito ad recipiendum ejus impressionem; sicut patet de igne respectu ligni excellenter frigidi et humidi. Nec valet quod dicit de obstaculo respectu illuminantis: quia illuminatio medii non solum impeditur propter obstaculum vel absentiam illuminantis, immo propter densitatem medii, aut defectum diaphaneitatis. Nec valet quod dicit, quod Thomas tenendus est in contrariis dictis: quia ipse non dicit contrarium alibi

(α) quæ. — qui Pr.

(ε) usus. — Om. Pr.

(α) quæ. — Om. Pr.

eorum quæ dicit in proposito. Immo Petrus dicit alibi contrarium eorum quæ hic dicit, scilicet quod tanta et talis posset esse fictio in recipiente sacramentum etiam baptismi, quod nullum effectum sortiretur; et similiter in sacramento pœnitentiæ, ut alias visum est (dist. 17, q. 2); licet non omnis fictio impediatur effectum baptismi, nec pœnitentiæ, nec hujus sacramenti, sed aliqua sic, et aliqua non. Si enim recipiens hoc sacramentum nunquam consensit, immo semper dissensit receptioni hujus sacramenti, nec habuit devotionem ad sacramentum, sed contemptum ejus, puto quod in eo casu nullum effectum recipit ex sacramento. De hoc sanctus Thomas, præsentī distinctione, q. 2, art. 2, q^{la} 3, in solutione secundi, sic dicit: « Baptismus non requirit motum liberi arbitrii, quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio; sed in hoc sacramento requiritur motus liberi arbitrii. » Item, in solutione quartæ quæstiunculæ, dicit sic: « Hoc sacramentum exigit actuale devotionem in suscipiente, sicut Eucharistia. Unde, sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum. » Item, q. 1, art. 4, q^{la} 2, in solutione primi, sic dicit: « Hoc sacramentum, sicut et prædicta, quantum est de se, habet certitudinem; sed potest impediri ex fictione recipientis (etiam si sacramento subiciat se per intentionem) quod nullum effectum consequitur. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet quod multiplex indispositio recipientis impedit effectum hujus sacramenti: puta, si sit puer; aut sanus, fingens se infirmum; aut carens omni devotione actuali, præsentī et præterita. Et multiplex alia fictio potest impedire omnem effectum hujus sacramenti.

Ad secundum contra eandem conclusionem, dicitur quod, cum beatus Thomas fuerit italicus, præsumendum est quod ipse bene scivit formas (α) sacramentorum, quibus Ecclesiæ italicæ utuntur, et sic formam (β) Ecclesiæ ambrosianæ. Et sic videtur quod Ecclesia ambrosiana, conferendo sacramentum extremæ unctionis, utitur non solum verbis indicativis, immo deprecativis; potissime quia Ambrosius non ignorabat verba beati Jacobi dicentis (cap. 5, v. 14 et 15): *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum; et, si in peccatis sit, dimittentur ei, etc.*; ubi traditur satis expresse quod unctio extrema, de qua ibidem loquitur, debet omnino fieri cum verbis deprecativis, non solum indicativis; cujus oppositum, si fiat, nil agitur. Et sic intelligo sanctum Thomam, primā quæstione hujus distinctionis, art. 4, q^{la} 2, ubi arguit sic (tertio loco): « In quibusdam Ecclesiis dicuntur

hujusmodi verba in collatione hujus sacramenti: *Ungo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, etc.*; et hoc est conforme aliis formis sacramentorum. Ergo videtur quod in hoc consistat forma hujus sacramenti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod verba illa indicativi modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma hujus sacramenti; sed sunt quædam dispositio ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba. » — Hæc ille. — Ex quibus videtur quod, licet aliquæ Ecclesiæ præmittant orationi verba indicativa, et aliquæ non, quælibet tamen utitur verbis deprecativis, et nulla solis indicativis.

Ad argumentum principale contra quæstionem (α), respondet sanctus Thomas, art. 1, q. 1, hujus distinctionis, q^{la} 1, in solutione primi, dicens quod « oleum quo catechumenus inungitur, sua unctione non perducit ad peccati remissionem, quia hoc ad baptismum pertinet; sed aliquo modo ad baptismum disponit. Et ideo non est sacramentum illa unctio, sicut unctio extrema. » — Hæc ille. — Qualis autem sit illa dispositio quam confert unctio illa præcedens baptismum, docet, dist. 6, q. 2, art. 3, q^{la} 2, in solutione primi, dicens sic: « Sacramenta novæ legis habent effectum in conferendo gratiam, quæ perfecte morbo subvenitur, contra quem sacramentum ordinatur. Sed sacramentalia habent effectum in removendo contrarias dispositiones, vel impedimenta gratiæ. Et ideo multiplicantur, nec in eis gratia confertur. » — Hæc ille. — Item, in solutione primæ quæstiunculæ, sic dicit: « Olei inunctio significat expeditionem hominis in pugna quam adversus diabolum suscipit (β), a cujus potestate exemptus est. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XXIV.

QUÆSTIO I.

UTRUM ORDO SIT SACRAMENTUM

CIRCA vigesimamquartam distinctionem 4. *Sententiarum* quæritur: Utrum ordo sit sacramentum.

Et arguitur quod non. Quia, sicut prælatio spiritualis, quæ est ordo, datur cum qua-

(α) formas. — formam Pr.

(β) formam. — formas Pr.

(α) quæstionem. — conclusionem Pr.

(β) suscipit. — suscepit Pr.